



P 7

~~P 7~~

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

17-49.

SIGNAT. MDLCCCXIII.

Primam & ultimam dissertationem
idem qui obtulit ceteras
cum iam in Bibliotheca
Vobam. Diss. Ver. y. d. & A.
reperiatur, excedit.

34.
31

LEGIS TABVLAE
NON CONFRACTAE.

SIVE
DE

LEGE MORALI
NON
ABROGATA
PRAESES

CHRISTIANVS REVERTERVS,
S.S. THEOL. DOCTOR, EIVSDEMQUE IUXTA AC
METAPH. PROF. PVBL. ET PAST. AD
AEDEM S.S. TRINIT.

RESPONDENS

CHRISTIANVS GODOFREDVS CHEMNITIVS,
PHIL. ET THEOL. STVD.

D. XIII. APRIL. MDCCXIV.

DISPVTABVNT.

SERVESTAE,
TYPIS WILHELMI ANDREAE MEYERI, ILLVSTR.
ANHALT. GYMN. TYPOGR.

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO

CAROLO WIL-
HELMO,

ANHALTINORVM PRINCIPI,
SAXONVM, ANGRIVARIENSIVM ET WESTPHA-
LORVM DVCI, ASCANIENSIVM COMITI, SERVESTA-
NORVM ET BERNBVRGENSIVM, NEC NON IE-
VERENSIVM, ET KNIPHVSARVM DYNA-
STAE, ETC.

DOMINO SVO LONGE CLEMENTISSIMO

has studii diuini primitias, in subiectissimi grati-
que animi signum, pro summis in se, suosque, col-
latis beneficiis, atque ad tenuitatis suae, studio-
rumque commendationem, tum rationem tem-
poris in Gymnasio illustri huc usque collocati
humillime redditurus

consecras

Christianus Godofredus Chemnitzius.

Q. D. B. V.

DE
LEGE MORALI
NON
ABROGATA.

Meges uti non unius omnes aut originis aut conditionis sunt, eademque uel ad communem, uel arctiorem quandam hominum consociationem tuendam pertinent, uel ad declarandam communionem illam, quae Deum inter et homines intercedere debet, consistunt; ita in explicandis iis iam *sacerdotes iustitiae* uersantur, quos *iuris consultorum* nomine tituloque alias distinguimus: iam illi operantur, qui ut *theologi* coelestis doctrinae capita exponunt. Et uniuersales licet diuinas etiam leges *iuris periti* tractent aliquando, quaeque non tantum *ciuis* boni, sed *probi* etiam *hominis* sint officia, docere connitantur; finibus tamen suis raro egrediuntur iidem, ad id tantum, plurimam certe partem, respectantes, quod ad societatem inter homines, aut gentem, aut rem publicam, emolumentis suis conseruandam, uel amplificandam eam pertineat. Ipsos adeo iuris naturae restauratores *quosdam*, omni alias laude maiores, *Grotios*, *Pufendorfium*, *Seldenum*, *Cumberlandium*, *alios*, inprimis qui *Pufendorfium* sequuntur, communissima praecepta, specialibus saepe lineis dimensos tantum fuisse, atque ad forum soli, unius etiam duntaxat aliquando populi, plurima accommodasse, nemini confido, historiae harum rerum, atque inde exortarum contentionum gnaro, potest esse ignotum. Egerunt, quod suum fuit, nec eam ob causam reprehendendi, dum cetera paria consistant nec *Machiavelus*, *Florentinus* iste, dux eligatur, neque alii, recte etiam agentes, et leges amplius explicantes, ut *αλλοτριοςπισκοποι*, profcindantur.

A

dantur. Sed id nostri instituti non est, adiciere uelle, quae praetermissa, aut non satis explicata poterant uideri, propterea quod dudum id magni nominis et iuris consulti et theologi praestiterunt. Declarandum tantum mihi sumo, quo sensu theologorum quorundam sit accipienda sententia, quando tradunt: *legem moralem quoad iustificationem, et maledictionem, et rigorem exactionis esse abrogatam, ad quam operam adeo bono cum Deo progrediemur.*

I.

Lex, a LEGENDO SIVE COLLIGENDO, dicta, generatim est decretum superioris, his, qui illi subiecti sunt, ad iustam obligationem, agendi uel omittendi, certos ob fines impostum, atque auctoritate uindicandi, si obsequium non praestetur, sancitum.

Fussum alii, item *uoluntatem, mandatum, declarationem* imperantis, *dictamen, ius, regulam et normam, directionem*, describunt legem, eodem, quoad rem, nobiscum sensu. Non omnia uero illa uocabula, maxime uti in sacris occurrunt, מִצְוָה, חֻק, תּוֹרָה, מִשְׁפָּט, νόμος, ἐπιτολή, συνθήκη, διαθήκη, *lex, institutum*, in eandem significanti rationem sunt accipienda, sed partim ex ipsa uocum, uel historiae antiquae natura, partim uero ex materia subfrata, omnibusque iis, quae illam circumstant, siue *mandatum, doctrinam, consensionem, promissum* aut *impulsum* indicent, diiudicanda, quo conferas ex theologis *Flaccium*, in clauē p. m. § 46. *Gerhardum*, loc. theol. tom. 3. init. *Meisnerum*, lib. 1. de legib. qu. 4. ex *ICtis Cothmann*, in comm. ad l. 1. c. de leg. n. 21. et seqq.

II.

Legem ferens non tantum uoluntatem ac potentiam aliquid imponendi, et adigendi, sed imprimis ius etiam postulandi et iustitiam possideat, necesse est.

Sunt, qui pro fundamento leges ferendi, aliosque obligandi, nudam collocant *potentiam*, cui alii resistere nequeant. Sed terribile hoc opinionis monstrum, praeter alios ab *Hobbeso* lib. de ciue c. 15. et in *Leuiathan*.

iathan. c. 31. p. m. 167. aut reuocatum aut exornatum masculae concidit illustri *Pufendorfio*, de iur. nat. et gent. lib. 1. cap. 6. §. 9. seqq. add. *Zemgrau*. de orig. iur. nat. art. 3. *Calouius* dissert. de iure figuli in uasa. *Voëtius* in dispp. select. p. I. p. m. 339. seqq. *Hochstädter* in colleg. *Pufendorf.* exerc. 3. Hoc enim si stare; omnes latrones et ficarii et aggressores et fures et Goliathi et Philistaei unius cum iuste imperantibus essent iustitiae et dignitatis sanctae. Rei duritiam uerborum lenitate alii emollire student, atque in *summanaturae ac uirtutum praestantia*, seu *ἐξουσία*, causam iustamque originem aliis imperandi ponunt. Sed neque hoc, nisi amplius quid accesserit, aegrae rei medicinam allaturum est. A sola enim dignitate, magnificae etiam maiestatis plenissima, ad ipsum et iustum quidem imperandi actum non statim ualere consecutionem, manifestum. uid. *Buddeus*, dissert. de principe legibus soluto, axiom. 2. Vero adeo conuicti illos sequimur, qui non uoluntatem aut potentiam meram, aut solam etiam excellentiam sufficere, sed *iustam* etiam *causam* adesse debere, instituant, unde uerum ius exoriatur. Illud autem existit, si praeter maiestatem amplius id quod in legislatore extiterit, ut subiectis ab ipso habeat *dependentiam* diuersis licet modis. Igitur qui in legibus rebusque diuinis principium et causam ponunt *liberam Dei uoluntatem*, recte eam cum *Pufendorfio*, in eride scandica, exponunt *coniunctam* cum aliis naturae diuinae attributis, ubi omnia *iustitia* Dei et *sanctitas* munit. *Certum quidem est*, *Wulfius* dicit oeconomia foed. lib. 1. c. 3. §. 18. *uoluntas Dei non posse mensuram aliquam aut regulam poni ab aliquo, quod extra Deum sit, id enim primitati ipsius repugnat. Aliquid tamen concipi potest, et debet, ex ipso Deo, et intrinsecis perfectionibus ipsius fluens, quod actui diuinae uoluntatis praestruatur, nec ideo bonum sit, quia Deus id uult, sed quod Deus uult, quia bonum est. Et praepostere res digerunt, qui sanctitatem Dei in eo duntaxat faciunt consistere, quod actiones ipsius exacte cum eius uoluntate conueniant. Quae uoluntas, inquit, omnis sanctitatis etiam diuinae regula est. Ex aduerso sanctitas Dei naturalis, ut uoluntate eius prior concipi debet: et potius uoluntatis regula est, quam ad uoluntatis regulam exigenda. Hac sententia refoditur uetus Archelai paradoxum: τὸ δικάζειν εἶναι καὶ τὸ ἀδικεῖν ἐξ ὀφείας, ἀδικεῖν δὲ νόμου. Cui succinit *Arestippus*, et *Theodorus* ille, a *Deos* appellatus.*

Qua sententia nihil potest excogitari pestilentius, et ad omne religionis fundamentum tollendum, ipsamque rationem iustitiae Dei et necessitatem Saluatoris interimendam et pietatem excindendam efficacius.

III.

Legi subiiciendus capax sit, oportet, obligationis, id est, ut seruare POSSIT et DEBEAT, imposita, aut, si hoc statu ipse semet eiecerit, ineptumque reddat, in REATVM poenae prolatur.

Quibus ergo *rebus* aut *personis* leges uel speciatim, uel omnino poni nequeant, satis manifestum. Quod nec rationis neque impulsus sanctioris aut quoad intellectum, aut uoluntatem est particeps, obligationis etiam proprie capax esse non potest. Ius, quod, ex definitione *Vlpiani*, *natura omnia animalia doceat*, quem habeat sensum, quae ratione ex retrufis *Stoicae philosophiae* mysteriis *de essentia Dei omnia penetrante et actuante*, non *Peripateticis* ambulacris deriuandum sit, elegantissime ostenderunt *Zentgrauius*, de iur. et iustit. p. m. 2, 3, 4, ante ipsum *Schiltherus*, in manu duct. philof. mor. ad iurisprudent. cap. 6. p. m. 227. conf. *Buddeus*, in analectis histor. philof. exercit. quib. agit de erroribus stoicorum in reb. mor. p. 100. seqq.

IV.

Conditiones necessariae legis sunt PROPOSITIO, promulgatio alias dicta, et tandem SANCTIO. Effectus denique legis est OBLIGATIO, qua necessitate morali quis obstringitur uel ad obsequendum, aut patiendum, si nolit.

Promulgando, quomodocunque id fiat, siue per interiores naturae impullus, siue medijs exterius adhibitis, notus fieri debet tum *legis auctor*, tum auctoris *sensus* in lege: per *sanctionem* autem legislatoris feueritas significatur, qua auctoritatem immisisis poenis comprobare possitet uelit, ni obsequium praesteretur. Ceterum in ferendis legibus Romanis aliud erat *promulgare*, ad colligenda populi suffragia

suffragia dictum quasi *prouulgare*; aliud contra *proponere*, quo lex iam omnium contentione comprobata in publicum ualorem omniumque scientiam *proponebatur*, qua de re vid. *Rosinus*, antiquitat. Roman. lib. 8. cap. 1. p. m. 1226. seqq. *Briffonius*, de formul. loquend. Roman.

V.

Vsu uenit, ut accidant legi aliquando DISPENSATIO: TOLERANTIA: INTERPRETATIO: AEQUITAS: MUTATIO: CESSATIO: IRRITATIO: DEROGATIO: ABROGATIO.

Dispensatio est liberatio cuiusdam ab obligatione legis, quae relaxationem eiusmodi admittit, in certo casu, ut persona exempta non possit dici peccasse, manente interim communi lege et obstringente ceteros omnes. Cuius legis auctoritas ne prorsus euilescat, rarius et graui de causa, atque exemplis in contrarium subinde datis, dispensandum esse, auctores monent. *Tolerantia* contra est, cum superior neque legem relaxauit, nec obligatione quenquam soluit ullo modo, ut omnino peccet, qui fecus egerit, actiones tamen subditi sui, contra istas leges commissas, quas nequaquam approbat, nec sine reatu esse iudicat, immiis tamen poenis non prosequitur, sed certis de causis perfert, aut, quod dicimus, permittit. Circa peccata Deus non dispensat, tolerat tamen eadem, sed non sine gratiae aut iustitiae causis. conf. *Baierus*, in theol. moral. part. 3. cap. 2. § 5. ubi de tolerantia & dispensatione ex instituto. Recte Dn *Buddeus*, theol. moral. part. 2. cap. 2. §. 14. p. 477. *multa DEVS tolerat, quae sunt contra leges naturae, etiam absolutas, quae tamen non probat. Tolerat ea in piis etiam et sanctis, sed ea demum conditione, si aut ex ignorantia, aut imbecillitate aliquid agant, quod contra legem sit, ut tamen nulla proaerfessis in illis sit legem uiolandi, sanctum contra et sincerum studium eam seruandi pro uiribus. Hinc et polygamiam in uiris sanctis veteris testamenti tolerauit Deus, quod isti neutiquam ex libidine, aut prauo animi affectu, sed desiderio consequendi promissionem de Messia ex illorum semine nascituro, sibi multiplicacionem optarent, et hanc, in partem singularis benedictionis diuinae, ponerent. Vnde si quis hodie, sanctis istis uiris plane dissimilis, in tanta euangelii luce sibi persuadere uellet, Deum etiam id toleraturum, si plures uxores duceret, nihil aliud acturus esset,*
quam

quam ut animum malignum Numinis que contemtorem proderet. Quae enim in hominibus piis et sanctis, integroque animo praeditis, per benignitatem tolerat, ea in impiis Deus grauissime punit. In cuius rei subsidium adicias, quae uti de uniuersa, ita de hac nostra ecclesia Serueftana meritissimus, atque omnibus bonis, summis et imis, gratissimus Vir, Dn. D. Weickmannus solide nuper et luculentissime exposuit in *iustitia causae* contra ICtum. Per *interpretationem* fit declaratio legis secundum intentam, taciteque saltem approbatam legislatoris mentem, ac uoluntatem, qua etiam aliquando aliena satisfactio undecunque praefita, admittitur, dummodo legis postularum compleatur, in casu etiam aliquando praefito. *Aequitas* dicitur, quando indicatur, casum aliquem, qui sub reatum alias caderet, peculiaribus uestitum circumstantiis a legislatore sub generali lege non fuisse comprehensum, adeoque sine reatu, ne, si nudam tantum literam legis in applicatione ad casus speciales respicere uelit iudex, absurdum aliquod, aut nimis durum, exoritur, uti hanc rem cum aliis quoque uocabuli notionibus, quando inter alia temperationem rigoris in iure denotat, exposuit *Pufendorfius*, in elementis iurispr. uniuers. lib. I. definit. 13. §. 22, p. m. 281. *Irritare* est, impedire, ne lex in certo casu habeat uim suam, uti tutor uota et actus pupilli, in sui ipsius damnum susceptos, annulat, aut ubi superior magistratus irritat leges inferioris. Quo in negotio non tam mutatio legum, quam significatio adest, temere esse susceptas actiones. *Mutatio* legis fieri dicitur, quando ei aliquid additur uel adimitur, quando absolute posita limitatur, quando extenditur, quando poena uel mitior uel acerbior in transgressores statuitur. *Cessat* lex, cum per certum temporis interuallum obligatione liberantur subditi, gratia aut consilio, uel ratione exterioris ad actionis aut executionis propter publice posita impedimenta, ubi singula de facto fiunt, omnia quasi silent, quo uid. Dn. *Hoppius* ad instit. prooem. p. 5.

VI.

Inprimis uero ad nostrum institutum pertinet **ABROGATIO**, quae, si formulis iuridicis, tum historiae etiam conuenienter loqui uelimus, nihil aliud est, quam totalis legis sub

sublatio et reiectio, ita prorsus facta, vt ne ulla quidem parte, aut ratione, quis eadem amplius obligetur.

Multae sunt diuersaeque huius originis uoces cognatae, quarum proprietas omnis ex modo constituendi leges, apud populum Romanum consuetudo, est repetenda. Inde enim discamus, quid sit *rogare derogare, obrogare, surrogare, abrogare*, quo euoluendus est *Vlpianus* tit. l. institut., ubi *lex*, inquit, aut *rogatur*, id est, *feritur*: aut *abrogatur*, id est, *prior lex tollitur*: aut *derogatur*, id est, *pars primae tollitur*: aut *subrogatur*, id est, *adiicitur aliquid primae legi*: aut *obrogatur*, id est, *mutatur aliquid ex prima lege*. Conf. *Alexander ab Alexandro*, genial. di. er. lib. 6. cap. 2). *Rosinus*, antiquitat. Rom. lib. 8. cap. 2. et 3. *Cicero* in fragment. de republ. lib. 3. *Brissotius*, de formul. Roman. h. u. *Jo. Caluinus*, Ict. in lexico iurid. h. u. Vti vero non semper, quod debebat, attenditur ad ueram etymologiam, ita uox etiam abrogationis modo in hunc, modo in illum sensum fuit coniecta, non semper et ubique sine rerum confusione. uidesis *Aretium*, in problem. theol. part. 1. loc. 54. p. m. 629.

VII.

Differt lex a CONSILIO: PACTO: PRAECEPTO dogmatico:
INSTITVTIS: EVANGELIO.

Consilia ab amicis et aequalibus. Sine immediata obligandi vi, et ad illorum tantum utilitatem, quibus dantur. Cum consiliis *Pontificiorum* nil habemus commercii. Sunt enim inania, sunt futilia, et plenissima superstitionis, de quibus *Chemnitius* in locis de discrim. praeceptor. et consil. Fuerunt quidem orthodoxi etiam theologo, qui, cum uiderent, quod euangelium etiam ex nostra parte aliquid requirat; non praecepta, sed *consilia*, in alia tamen subiecta materia occupata, euangelio tribuerunt. Propter abusum tamen termini, et ne quid consiliis euangelicis Pontificiorum tribuere, uel commune quid cum usdem habere uiderentur, abstinentiam ab hac locutione alii susceperunt: dicunt itaque, non praeceptiones, sed inuitationes suas euangelium habere. ita *Kromayerus*, theol. pos. loc. II aphor. 7. §. I Pacta ex partium consensione ualent. Si resilierit una, aut promissa non serua-

rit, rescinduntur, et impune quidem, nisi leges, in subsidium antea uocatae, aut alio modo laesae fuerint.

Praecepta dogmatica uersantur in docentium et discitentium circulis, neque propriae legis naturam induunt. *Instituta* hoc loco illa mihi dicuntur, quando humanae salutis promouendae media, uel ritus ac ceremoniae constituuntur, maxime a Deo, quae leges adeo proprie non sunt, sed ad naturam consiliorum, puriore sensu acceptorum, accedunt, cum legibus uero in rationibus circumstantibus coniuncta esse possunt. Inde speciatim sequitur *euangelium*, quod proprie atque in se consideratum nullo modo legis habet naturam, sed gratiam in Christo offert, fidem operatur, atque ad salutem confirmat. Quod igitur de *lege euangelica* quidam afferunt, aut explicandum est magna cum cautione, aut prorsus, quod omnium optimum est, reiiciendum, uti pluribus deinde ostenderetur.

VIII.

Lex ratione auctoris est uel DIVINA uel HVMANA. Diuina porro est uel NATURALIS uel POSITIVA. Naturalis illa amplius est uel INSITA uel solemnius REPETITA, dicta alias speciatim LEX MORALIS. Positiva ex quorundam explicatione est uel VNIVERSALIS uel PARTICVLARIS; Particularis tandem uel CEREMONIALIS uel FORENSIS.

Non omnes unam eandemque leges diuinas dispendendi rationem inierunt. Sunt, qui legum diuinarum aliam *naturalem*, alias *positiuas* constituerunt. Quo quidem modo *positiuas* iterum distinxerunt in *positiuam uniuersalem*, quam *moralem positiuam* dicunt, et in *ceremonialem ac forensam*. Atque hi magnum adeo inter legem naturae et legem moralem discrimen constituunt, easque *specie differre*, opinantur, vid. D. Kahler dissert. theol. II. p. m. 131. In hunc fere modum Jo. Ad Osiander, *lex moralis*, inquit, *est uel simpliciter talis, quam alii moralem naturalem appellant, uel positiva: illa ratione materiae est eadem cum lege naturali; haec autem obligat quidem omnes homines, uerum nec inscripta est cordibus, nec absolute est indispensabilis, ut quidem utriusque praeccepta deprehenduntur in decalogo. ssystem. theol. part. 3. art. II. p. 91. it. in obseru. ad Grot. de iure b. et p. 104.* Alii secessionem ab his fecerunt, legemque naturae et moralem uno fere habu-

habuerunt censu, & iis denique leges rituales et forenses adiecerunt, sed, praeter has leges, quasdam *positiuas uniuersales* efformarunt, cum intelligerent, legibus diuinis quaedam omnibus hominibus prohibita esse, quae tamen legibus naturalibus, seu iis, quae naturalem et necessariam cum natura hominis connexionem habent, prohibita non sint. Quod ad partem, auctores quosdam ex *Buddei* hist. iur. nat. enarrauit *Jac. Fried. Ludouici* in histor. iur. diu. §. 108. Ante *Dn. Thomafium* has tales leges iam asseruisse et theologos, et *ICtos, Grotium, Zieglerum, Kulpifium, alios*, ostendit *Dn. D. Klausing*, in peculiari dissertatione, qua 1711. luculenter his de legibus commentatus est, §. 3. 4. feqq. Aliam nuper ingressus est uiam *Dn. D. Buddeus*, et, repudiatis legibus illis positiuis uniuersalibus, quas antea ipse quoque comprobabat in *element. philos. pract.* distinguo, inquit, *inter leges absolutas et hypotheticas. Hypotheticas uoco, quae certum aliquod institutum supponunt. Instituta ista uel diuina uel humana sunt. Humana, ut dominium rerum, pretium rerum, et alia; diuina, ut arbor uetita in paradiso, matrimonium, sabbatum, sacramenta. Ad haec instituta, ad hominum quippe salutem comparata, obseruanda, iure naturali obligati sumus. Hinc leges hypotheticae.* Qua explicatione num difficultates omnes tollantur, aut numne potius ad priores distinctiones nihilominus nobis recurrendum sit, alii iudicent. Nostra quidem methodo id statuimus, legem moralem, speciatim etiam sic dictam, et quae continetur in Decalogo, non nisi *accidentaliter* differre a lege naturae, quatenus hanc summum Numen omnibus hominibus in seuit, recte exinde a *Cicerone* descriptam, quod sit naturae congruens, diffusa in omnes, constans ac sempiterna; illam uero *Deus*, restauraturus uoluntatem suam, in monte *Sinai* repetiit, et affusa luce, cui per impulsum naturae locum non dabant tenebricosae gentes, illustrauit, certisque capitibus distinxit. Vbi non sine causa subiicio summe uenerandi *Fechti* sententiam: *Lex positiuo-moralis a theologis antiquioribus merito ignoratur.* Syllog. controu. disp. 37. n. 9.

IX.

Lex ergo moralis est decretum Dei, ex aeterna sanctitatis et iustitiae suae norma hominum mentibus inditum ac propositum, saepiusque deinde repetitum, et maxime in populo iudaico declaratum, tum promissis ac minis

B

fan-

fancitum, obligans omnes homines uel ad perfectissimam obedientiam, uel ad aeternam poenam, ut homines Deum in maiestate, et semetipsos cognoscant in statu suo, atque de communione cum Deo aut tuenda, aut restauranda, et pie declaranda cogitent.

Ita lex naturae, et quae dicitur moralis, non differunt, nisi solo patefactionis modo, dicit Dn. Wandalin, in hypotypof. san. uerb. cap. 9. p. 240. in eandemque sententiam dudum rem explicuerunt Lutherus, tom. Altenburg. p. 47. Melanchthon, loc. theol. cap. de lege init. omnino in hoc doctrinae genere euoluendus. Neque horum locorum explanator Chemnitius discessit a Melanchthone, ut uidere est in locis eius, ubi hoc pertractauit. Vnde etiam Hutterus sequentem in modum: differt lex naturae a diuina non autore: non notitiarum materia, siue obiecto: sed partim gradu et perfectione: partim uero reuelationis modo. loc. commun. p. m. 381. de leg. cap. 2. Gerhardus, loc. theol. tom. 3. deleg. cap. 3. hac ratione instituit: lex primitus hominum mentibus instat dicitur lex naturae, ubi obseruandum, quod in natura integra idem omnino erant lex naturae et lex moralis, sed in natura corrupta magna pars legis naturalis per peccatum obscurata est. Atque ita omnino sentio, in lege naturae eadem latere et spiritualia et efficacia praecepta, non tantum ad societatem hominum eorundemque utilitatem pertinentia, sed quae maxime uergant ad reuerentiam Numinis, et intentam ab hoc ipso communionem sanctam cum genere humano. Plus inest uerbis Paulinis, quam nonnulli putant, cum gentes ueritatem in malitia detinere dicuntur, Rom. I. 10. Lex igitur adesse potest integra in sanctissimis suis integrisque praeceptis, ita tamen, ut non inuestigetur per negligentiam, atque affectatam stupiditatem, aut ut dati ipsius impulsus reprimantur, aut non obseruentur animo obsequendi. Certe si quis in colligendis ueterum poetarum, philosophorum, et legumlatorum sententiis operam uellet ponere, reperiret talia, quae legi naturae inesse, aut illam docere, alii negant. Conferri interim possunt, quae collegit Pfammerus, system. theol. gentil. pur. c. 9. §. 8. 9. ubi, concupiscentiam quoque peccatum esse, gentiles etiam agnouisse, docet. Add. Huetius in Alnetan. quaest. siue de concordia rationis et fidei lib. 3. Satis me adeo nonnemini mentem haud percipere.

cipere, lubens fateor, quando, probaturus legem naturae et legem moralem specie differre, sequentibus utitur argumentis: *illum qui implet legem moralem, obtinere aeternam uitam; implemtem uero legem naturae manere sub ira et damnatione. Quae differant, ut carnale et spirituale, illa specie differre. Legem naturae esse naturaliter notam; legem autem moralem in statu lapsus esse non nisi ex reuelatione supernaturali.* Prouoco ad superius dicta, tum ad testimonia theologorum, atque accuratorem rerum inuestigationem.

Legem autem moralem in allata definitione, tum alias saepius, dicimus *decretum Dei* uti propter alias causas, ita maxime, quoniam *ἐκείνος* est aeternae illius et immutabilis, quae in *Deo* est, iustitiae et sanctitatis, qua ipse sibi lex est, contra quam nihil facit, in qua etiam nihil immutat, quia semetipsum abnegare non potest, 1 Tim. II, 13. Iac. I, 17. Quo trahenda sunt, quae exposita comparent sub thes. II. Hinc etiam est, quod hanc legem alii appellitent *aeternam*, fundatam scilicet in sanctitate, sapientia et bonitate Dei, nunquam immutanda. *Zentgravius*, summ. iur. diu. p. 28. seqq. Pari modo hac de lege iudicandum est, si respiciamus ad *hominem*, cui data. Quod si enim non tantum dignitas et honestas, aut utilitas etiam, in natura humana hominumque societate, sed commercium quoque illud consistere debet, ad quod hominum genus conditum est, *absolute*, ut dicimus, id requiritur, ut ejusmodi lex, quam moralem appellamus, consistat. Nolumus repetere, quae toties fuerunt proposita, quaecumque ab uno quouis naturam suam indagante, deprehenduntur. *Intelligit ratio naturaliter, discrimen esse inter hominum et pecudum uitam, intelligit iustitiam, castitatem, ueritatem, temperantiam, modestiam, beneficentiam et alias uirtutes. Intelligit item, genus hominum ad societatem legitimam conditum esse, et intelligit, uirtutes propter Deum colendas esse, etiam si non moueremur utilitate, bene confiteretur Melancthon, de leg. natur:*

Hunc in finem conditus est homo ad imaginem diuinam, Eph. IV, 24. Eadem ratione ipse Deus pronuntiat: *debetis esse sancti, quoniam ego sanctus sum*, Leu. XI, 45. XIX, 2. 22, 7. Igitur aut euertenda est ipsa DEI iustitia aeterna, atque hominum natura tollenda; aut lex moralis consistat, necesse est. Fundamentum enim habet partim in DEI immota *sanctitate*, quae scientiam diuinam et iudicium de honesto et turpi, uero et falso, aequo et iniquo, simul compreh-

hendit; partim in *conuenientia naturae humanae*, quae cum ratione et iudicio ea quoque de causa condita est, vt honesta a turpibus, iusta ab iniuris, sancta et pia in Deum officia a bruto impetu et libidine discernantur. Accedit, hominem uiuere debere in *societate* cum aliis. Consociatio autem illa communis integra et perpetua consistere nequit, nisi ea obseruentur, quae in lege morali de officiis hominum erga homines praecipuntur, quod alii luculenter ostenderunt. Hoc sine legem moralem appellauimus *naturalem*, non ea solum aut praecipua de causa, quod per naturam cognoscatur, aut naturaliter tantum quasi promulgetur, sed maxime, quod naturae humanae *neccessario inhaereat*, hunc etiam hominum statum necessario *consequatur*, ex conuenientia naturali. Quod si auctores quidam, ceterum probi, et recta docentes, legem moralem dixerint *positiuam*, quod ex recentioribus fecit saepius laudatus Dn. *Zentgrauius*, in eiusque rei consentientes excitauit *Dorschaeum*, theol. mor. §. 10. *Osiandrum*, theol. mor. part. gen. cap. 13. *Danbauerum*, hodosoph. p. 464. illud ita accipiendum est, uti hi fuorum ipsi uerborum interpretes fuerunt, cum docent, *non intelligere sese legem moralem, quoad ipsam quasi substantiam, et essentialem praeceptorum materiam, sed tantum respicere sese ad specialem legis huius promulgationem seu repetitionem in monte Sinai singulari quodam apparatu factam, et ad statum populi iudaici accommodatam*. Ad quam applicationem pertinuerit etiam, quod publicus Dei cultus ad certum in hebdomade diem adstrictus fuerit. Sed plurimorum tamen explicatio uocis *positiui* eo uergit, leges positivas ita dici, non tam ratione actus et modi promulgandi, quo homini quasi ponantur aut imponantur, sed ratione *materiae*, et ob naturam praecceptorum, quae nuda tantum et prorsus libera, tum quae mutari possit, uoluntate specialibus de causis constituentur, et singulari adeo modo ponantur.

Perfectio in eadem lege postulat ab hominibus obedientiam ac satisfactionem et ratione omnium *partium*, et ratione omnium *graduum*, et ratione *durationis*. Primum patet ex Deut. XXVII, 26. *Maledictus, qui non permanferit in omnibus, quae scripta sunt in libro legis*. Iac. II, 10. Secundum constat ex Matth. XXII, 37. *Dilige Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua*. it. Deut. X, 20, 21. Tertium cognoscitur ex Ezech. XVIII, 24. *cum auersus fuerit*

instus a iustitia sua, omnes iustitiae eius, quas fecerit, in recollectionem non uenient.

Quod speciatim ad *durationem* legis attinet, eam quoque hoc loco intelligimus, quae non tantum in continuatis iustis actionibus hominum deprehendi debet, sed illa quoque, quae per omnia, hominum omnium, tempora peruadat. Qua in re per se notum est, gentem Iudaicam singulari quidem ratione obligatam fuisse per ministerium Mo- sis, propterea quod hic minister et internuncius Dei huic populo im- mediate constitutus erat; interim tamen *mediate* etiam aliis gentibus, et quae superfuturae essent omnibus seculis, intendebatur obligatio ex eo quoque, quod per Mosen publice instaurata et data lex fuerat, cum so- lennissima illa repetitio in monte Sinai facta et *praesentia*, et *auctorita- te*, et *fama*, pertingere deberet ad uniuersas omnino gentes, omnium- que et singulorum hominum tempora, utpote quorum omnium et singulorum conuersionem ad salutem Deus serio intendebat, eorum- que animos summo suo et in ministris, aliisque rebus circumstantibus, demonstrato apparatu percelleret, atque ad maius inquirendi studi- um incitaret. Ita enim sapientissimus Deus sua habuit temporum in- terualla, quibus tantis operum suorum signis patefacere uoluit maie- statem ac uoluntatem suam, ut eiusmodi temporum notis clarissimis distinctorum, tum rerum gestarum memoria ad omnes usque posteros transmitteretur. Reuocari huc Adami, Noachi, Mo- sis, Prophetarum, Iohannis tandem, ipsiusque Christi et Apostolorum interualla, omni- bus est manifestum. uid. *Osiander*, theol. moral. p. 1. cap. 12. §. 5. *Caloui- us* in Bibl. illustrat. ad Exod. XX, 2. p. m. 396. Bene *Zentgrauius*: *Vri Deus per prophetas, et oracula Prophetarum de Christo, non Ebraeos tantum informare intendit, sed etiam gentiles, ad quos illae promissio- nes euangelicae spectabant, et de quorum uocatione ad regnum Messiae uiri hi ἑθνογεστοι egerant; ita quoque per Mosen, seu doctorem commu- nem, uniuersum genus humanum, uti de euangelio, ita quoque de lege docere uoluit.* Hunc in modum lex moralis in substantia sua omnium est hominum, omniumque temporum, siue praeterita illa sint, siue prae- sentia sint, aut futura. Nunquam desinet id Deus esse, quod est, sum- mum nimirum perfectissimumque bonum, supremus rerum stator, mo- deratorque ac iudex, eadem semper sanctitate, eodem mentis desiderio ac amore, eademque submissa animi ueneratione colendus et reue-

rendus. Neque semet homines ipsi natura illa, quam sapientissimus ille semel ipsis immisit aut inscivit, exuere possunt, quocunque licet in statu, aut quocunque tempore uiuant. Recte proinde *Gerhardus*, tom. 3 sect. 2. p. 16. *neque uero*, inquit, *existimandum, legis moralis initium cum solemnibus illa decalogi promulgatione coepisse, uel eiusdem angustis conclusam teneri, sed lex moralis etiam ante solemnem illam promulgationem a prima statim mundi origine hominibus tradita est ac patrefacta, imo cordibus ipsorum in creatione insita et quasi insculpta fuit.* conf. *Hutterus*, loc. theol. p. 377. Quibus fundamentis positus sequentia facile percipiamus.

X.

Lex igitur illa moralis, proprie considerata, nulla parte, nec ullo gradu, aut tempore, nec ullo fine, est abrogata.

Probo I. EX NATVRA DEI, apud quem non est transmutatio. *Iacob*, I, 17. II. EX NATVRA HVIVS LEGIS, quae est *ex utroque* iustitiae et sanctitatis Dei aeternae, unde originem, fundamentum et rationes sanctissimas habet, *Deut.* IV, 2. VI, 4. 5. III. EX NATVRA HOMINIS. Homo in communione cum Deo ad *colendum Deum*: ad *agendum cum ratione iuste et honeste*: ad probe uiuendum *cum aliis hominibus in consociatione*, amica et tranquilla, conditus est. Tollas hos fines, tollis ipsum hominem. Sed cum consistant homines, fines etiam dicti consistant, per naturam rei oportet. Homo ad imaginem Dei. *Gen.* II, 27. *Ephes.* IV, 24. ad eamque imaginem reuocamur a Christo, *Matth.* V, 48. IV. EX NATVRA SCRIPTVRAE, luculentissime *testantis*, *Matth.* V, 18 19. *Vsque dum praeterierit coelum et terra, iota unum aut unus apex nequaquam praeterierit ex lege; Quisquis soluerit unum ex praeceptis eius minimis, et ita docuerit homines, minimus, id est, nullus, uocabitur in regno coelorum.* *Pf.* XIX, 8. *Lex Iehouae perfecta*, etiam ratione *durationis*. Nam *uerbum Domini nostri manet in aeternum*, *Esa.* XL, 8. Hinc etiam, quando uidetur abrogari, *stabilis*, atque, ut aeternum et sine immutatione consistens, declaratur, *Rom.* III, 31. V. EX THEOLOGORVM CONSENSV, inter quos primus *Lutherus*, das Gesetz / inquit, gehet nicht allein die Juden / sondern auch die Heyden an. Denn es ist eine ewige Ordnung und Befehl

GDt.

Gottes; daß man Gott ehren und fürchten/und den Nächsten lieben soll.
 tom. Altenb. 9. p. 411. a. Conf. *Melanchthon* loc. theol. cap. de leg. diu.
 p. m. 358. *leges, dicit, morales cum sint aeternae regulae mentis diuinae,
 semper sonuerunt in Ecclesia, etiam ante Mosen, et semper mansurae sunt
 et ad omnes gentes pertinent.* Amplius quid si postulaueris, euoluas
Mart. Chemnitium, loc. theol. sect. de leg. cap. 6. *Hutterum*, loc. theol.
 artic. II. c. 1. quaest. 6. *Hassenerum*, loc. theol. lib. 3. stat. 3. loc. 4. p.
 m. 391. seqq. *Gerhardum*, loc. theol. tom. 3. cap. 4. sect. 12. p. m. 313. seqq.
aliosque magno numero. Probo tandem, VI. ETHNICORVM TESTIMO-
 NIIS, inter quae eminet luculentissimum illud *Ciceronis* lib. 3. de Re-
 publ. in fragmentis: *Est quidem uero lex, recta ratio, naturae congru-
 ens diffusa in omnes, constans, sempiterna, quae uocet ad officium iubendo,
 uetando a fraude deterreat, quae tamen neque probos frustra iu-
 bet, aut uetat, nec improbos iubendo, aut uetando mouet.* Huic legi nec
*obrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abro-
 gari potest.* Nec uero aut per senatum, aut per populum solui hac lege
possumus. Nec erit alia lex Romae, alia Athenis, alia nunc, alia posthac;
*sed et omnes gentes et omni tempore una lex et sempiterna et immorta-
 lis continebit.* Quae omnia cum tanta sint posita in luce, nolo immo-
 rari tenebrosos illis Pontificum et Scholasticorum quorundam nugis,
 et leuitate et blasphema impietate plenissimis, cum docent, posse
*Deum praecipere, quae legi morali sint aduersa, ut hominem homini
 insidiari, aut necem inferre, uel quouis modo furto, laesione aut insidiis
 nocere, nefas non sit licet non sint diuersae iustitiae aut immutae rati-
 ones circumstantes: posse Deum dispensare in omnibus praeceptis natu-
 ralibus, adeo, ut sui etiam odium praecipere queat.* Prolixius hasce
 improbe negotioforum hominum sententias enarrauit *Scherzerus* in
 breuiar. Hulfem. cap. 21. thes. 8. p. 1675 seqq. Praecise quidem, sed ue-
 re *Comringius*: *Nec ipse etiam Deus per absolutam suam potentiam re-
 figere hanc legem potest, non magis, atque efficere, ut falsa sint uera,
 aut factum insectum, idque ideo, quia quod mandat lex naturalis, per
 se bonum; quod prohibet, per se malum est.* Nec fieri potest, ut unum
 mutetur in alterum, nisi quis naturas rerum aeternas mutari posse sta-
 tuat, quod omnium consensu est absurdum. Dissert. de legibus.

Neque lex moralis per hunc modum aut abrogatur, aut unquam abrogata est, quo iustificantur homines in Christo. Hoc enim in negotio non abrogatio, nec dispensatio quidem, nec aequitas omnis uel acceptilatio, neque mutatio, irritatio aut cessatio, sed INTERPRETATIO legis ualet.

Iustificare, recepto in theologia usu, significat aliquem iustum iudicare, declarare et pronuciare, ut proinde non subiiciendus sit poenis ac suppliciis, nec accusandus aut probrose culpandus propter reatum, nec adigendus ad amplius praestandam satisfactionem pro reatu. DEVS autem, ut iustus est iudex, neminem isto quidem modo iustificare potest, nisi qui possideat iustitiam omnibus numeris gradibusque perfectam, et, si quid contra commiserit homo, plenissimam legique rigorosissimae prorsus et omnino conuenientem afferat satisfactionem. Summus enim hic rerum arbiter non potest se abnegare, nec dissimulare uirtutes suas, aut id facere, quo testetur, se non esse illum Deum, qui est, et quasi perfectiones, quae diuinae sunt, non haberet. Ita peccantem hominem necessario odit et auersatur et condemnat, nec eum iustum ulla ratione pronuciare, nec ad beatam sui communionem admittere potest, nisi uia intaminatae sanctitatis. Igitur quo magis de iure suo Deus absolute remitteret, aut per *acceptilationem*, uel *aequitatem*, placidam ageret cum homine, eo magis immiueretur iustitiae ipsius gloria; quo grauiorem uero poenam immiserit Deus, aut quo accuratiorem postularit satisfactionem, eo magis iustitiae suae gloriam illustraturus est. Iam uero cum prolapsus homo iustitiam peccando amiserit, nec pro se illam recuperare possit, Christum Deus posuit *κατάραν* pro reatu Gal. III, 13. *ἵλασθαι* in ipsius sanguine, ad acquirendam iustitiam, qui usque ad τέλος, Rom X, 4. usque ad extremum iota, summumque apicem impleuit legem, Matth. V, 17-19. in demonstrationem iustitiae diuinae Rom. III, 25. Credens autem, fide acceptans praestitam hanc per Christum satisfactionem, iustitiam in sponsore suo reperit, eandemque, ipsa Dei gratiosa uoluntate et operatione, sibi applicat, et ipsius adeo
Christi

Christi personam per *commutationem moralem ac reputationem* induit, ita prorsus, vt *δικαιωμα τῶ νόμου*, *postulatum legis rigorosissimae*, in *credentibus impleatur*, seu praefens ac perfectum constituatur, Rom. VIII, 4. iidemque fiant *δικαιωσιν ὅσῃ ἐν Χριστῷ*, 2 Cor. V, 21. Ita lex ipsa a uere credentibus amplius nihil postulare potest, aut urgere, quod ualeat ad satisfaciendum pro reatu: ita Dominus legis iustum esse iudicat, vt absoluitur et iustus declaretur ille, qui possidet iustitiam perfectam: ita porro *ἡ δὲ καταδικαία*, nulla condemnatio aut execratio legis super hos, qui sunt in Christo, Rom. VIII, 1. Nam pro peccatis in persona *μεσῖτα* mortui sunt, et moriendo satisfecerunt. *Quod si enim unus pro omnibus mortuus est, omnes mortui sunt*, 2 Cor. V, 14. et *qui mortui sunt, absoluti sunt a peccato*, Rom. VI, 7. Ita lex non imminuitur ullo modo, aut labefactatur, sed *ισῶται*, id est, quomodo, contra hominum, secus iudicantium, opiniones, diuinis uis consiliisque consolidata persistat, docetur, ac publice declaratur, Rom. III, 31. Nec minus perspiciamus, iustificationem nostram suis modis fieri *secundum legem*, si nimirum ad *sponsoris satisfactionem*, tum ipsam *recuperatam iustitiam*, et *iudicium tandem iudicis sancti*, secundum normam suam, respectare uelimus. Quod uero ad hominem, ipsiusque merita, nil, nisi *gratiam*, deprehendamus. Hinc *ratione hominum* Deus dicitur *condonare et remittere* peccata, et sic *gratia iustificantiur* homines. Quando enim reus pro se ipso satisfacere non ualet, neque alius quis, aut ualet, aut uult, nisi ille, qui aetori et iudici carissimus et coniunctissimus exstiterit: quando etiam culpa commissa adeo est nefaria, vt pro ea nihil, nisi *summum supplicium* satisfacere queat, nec sine laesione iustitiae absolute condonari possit: quando denique pro libitu summoque suo iure aetor potest uel reum ipsum punire, uel non facile ab illo altero satisfactionem, propter intimam coniunctionem, uel cognationem, admittere, his certe positis, si, dimisso reo, nihilominus alterius illius et sibi amicissimi satisfactionem admiserit, idque in eorum gratiam, quorum perditione sempiterna gloriam etiam sibi amplissimam acquirere potuisset, aequae gratiose, reum quod attinet, *condonare* dicitur aetor uel iudex, ac si prorsus gratuito condonasset, etiamsi non nisi, *plena satisfactione praestita*, condonat. Ergo per saluandi modum in

Christi

Christo lex diuina rigorosa ne in minima quidem parte, aut gradu, uel tollitur, uel circa eam siue derogatio, siue ulla mutatio, facta, uel admissa est. Sed, si dicendum, quod uerum est, INTERPRETATIO in eodem negotio deprehenditur esse, ubi benigne admittitur mediatoris et sponforis satisfactio, cum principalis debitor soluere nequeat. Quam quidem interpretationem multi acceptilationem et *expiationem* dixerunt, sed negari non potest, uoces illas in germana significatione isto modo nec assumtas fuisse, nec commode satis semperque usurpatis, quod hi illis abutantur, qui gregem Socinianum sequuntur. Igitur non facta est mutatio in regula illa iustitiae in Deo, sed in nobis, recte ait Chemnitius, loc. theol. de leg. cap. 5. Comparentur Caluius in Bibliis illustrat. ad Gal. III, 25. Vener. Fechtius, syllog. controu. disp. 34 §. 12. B. Neumannus, in disp. de lege per fidem stabilita, ex Rom. III, 31. habit. Vitemb. A. 1709. item Guilelm Bradshaw, Anglus, in libello, quem inscripsit de iustificationis doctrina, multa cum utilitate contra Socinianum uirus legendo, edit. Lugd. Batau. 1684. Spannheim. Dub. Euangel. part. 3. Dub. no. seqq. Vlr. Huberus, de iure ciuitat. lib. 1. cap. 6. sect. 4. de satisf. Christi. Vide quoque, si uis, quae ante hos octo annos luculenter his de rebus ipse exposui in libro de foederibus et testamentis diuinis, Part. 1. c. 2. §. 4. p. 37. seq. Part. 2. c. 2. §. 16. p. 187. seq. Summam totius huius rei eleganter complexus est profundissimus theologus Tubingensis, Christoph. Woelflinus, cum libro de obligatione credendi in Christum, exercitat. 2. §. 13. p. m. 37. sequentem in modum concludit: Nostrarum Ecclesiarum unanimes est sententia, Christum mortuum esse pro genere humano, loco nostri, mortemque eius proprie loquendo esse satisfactoriam et expiatoriam nostrorum peccatorum; fuisse *λυτρον* pro nostra redemptione solutum, habereque mortem eius infinitam uim merendi de se et per se, et non ex gratuito Dei fauore, eleuante uel aestimante mortem illam ultra dignitatem suam intrinsecam pro satisfactione condigna, quamuis non negemus, gratiae et fauori diuino esse adscribendum, quod medium hoc ordinauerit Deus in nostrum commodum, idque acceptauerit, cum tamen nos rei fuerimus, et obligati ad satisfaciendum in propria persona. Atque uti unus idemque saluandi et iustificandi modus fuit in ueteri aequae ac in nouo testamento, Actor. XV, 11. ita eadem explicatio de

puta-

putatitia illa legis moralis abrogatione ad utriusque testamenti statum omnino ualēt. Quod si enim in nouo testamento debeat esse lex moralis abrogata, abrogata etiam fuit in ueteri; hoc uero postea negant auctores, ergo nec commode prius affirmare possunt. Et si in nouo dicitur abrogata lex quoad iustificationem, sensu praeciso, sequeretur, potuisse legem in ueteri testamento iustificare homines propter opera sua, consequens uero est absurdum, igitur, quid de antecedente, si praeciso in sensu sumeretur, iudicandum esset, facile liquet.

XII.

Neque abrogata eadem lex est quoad maledictionem. Indicat enim usu suo DIDACTICO et PAEDEVITICO agenda, et commissa; tum EPANORTHOTICO accusat, terret ubique et condemnat, ubi non deprehendit iustitiam, omnibus numeris perfectam, aut satisfactionem.

Quae legis fulmina percipiuntur, Deuter. XXVII. et XXVIII. illa summam etiam audiuntur in nouo instrumento, Galat. III, 10. Qui Christi satisfactionem suscipere nolunt, atque ipsi iustitiam ex legis operibus sibi exaedificare allaborant, illos aut oportet implere legem etiam in nouo testamento, aut, cum hoc non potuerint, manent sub ira, ubi perpetuo illis etiam in nouo testamento maledictio lex et condemnationem confirmat. Ita instruit ipse Christus, Matth. XIX, 17. Luc. X, 28. Ita informat Paulus, Rom. X, 5. Galat. III, 10. 11. 12. V, 3. Merentur legi, quae exstant in *Articulis Smalcaldicis*, part. 3. n. 3. *Hoc officium legis retinetur in nouo testamento. Hoc fulmen est Dei, quo et manifestos peccatores et hypocritas prosternit, et nullum iustum pronunciat, sed omnes ad terrorem et desperationem adigit. Huic officio nouum testamentum statim adiungit consolationem et promissionem gratiae euangelii, cui credendum est.* Atque ut in ueteri testamento lex rigorosa amplius non poterat maledicere illi, qui, ad exemplum Abrahami firma animi fiducia acceptabat gratiam Dei, in Messia promisso fundatam, manente condemnatione super incredulos; ita in nouo testamento eadem lex non potest non grauissime,

nec imminuto rigore, maledictionem infligere illis, qui in peccatis, sine conuersione et fide, consistunt. Diuinior enim *ira manes super incredulos*, iidemque, qua tales, iam ex sententia legis perpetuae sunt *condemnati*, Io. III, 18, 36. Igitur abrogatio legis, *quoad maledictionem*, aut omnium est temporum, quibus fuerunt credentes, aut nunquam ulla est, aut fuit. Seuerus ille *usus epanorthoticus* cessat tantisper quidem ab actuali condemnatione apud *credentes*, atque in *statu fidei positos*; non profus uero tamen abrogatur, sed credenti proposita in ipso etiam gratiae statu in mentem reuocat, quid rigore suo efficere possit, imo quid ipso actu contra istum effectura sit, si malitiose suo sese statu ciiciat. Quo constituto, percipiamus causas, quare lex eadem seueritate, eademque semper frequentia, quanta pro auditorum conditione opus fuerit, tractanda sit, semperque cum doctrina gratiae, in euangelio proposita, continuato nexu iungenda, ut *terreantur improbi*, seriamque Dei iram et uoluntatem sanctam, tum miseriam suam *agnoscant*: *leuiore*s suscitentur: *tepidi inflammentur*: *torpentes* de periculo *commoneant*, et Christi gratiam reuerentius habere *discant*: *elatiore*s deprimantur et de seipsis *desperant*: *uere tandem credentes* memores perpetuo mancant summorum in Christo beneficiorum, et felicis status sui, eoque magis *ad officia grati animi* ducantur, atque in omni ueritate diuina *confirmentur*. *Form. Concord.* in epit. hac de re sequentem in modum: *Propter ueterem Adamum qui adhuc in hominis intellectu, uoluntate, et in omnibus uiribus eius infixus residet, opus est, ut homini lex Dei semper prae luceat, nequid priuatae deuotionis affectu in negotio religionis confingat.* Item, *ne uetus Adam pro suo ingenio agat, sed potius contra suam uoluntatem non modo admonitionibus et MINIS legis, uerum etiam POENIS et plagis coerceatur, ut spiritus obsequatur, seque ipsi captiuum tradat.* num. VI. Item, *Ad hunc modum una eademque lex est manetque immota, uidelicet Dei uoluntas, suae poenitentibus suae impoenitentibus, renatis, aut non renatis proponatur. ibid.* Legas etiam dissertationem B. Neumannii, de praeconio legis et euangelii in praxi assidue coniungendo. Consentit Dn. *Witfius*: *ita tam lex, quam euangelium, in SVMMO perfectionis suae APICE sub oeconomia EVANGELICA praedicanda sunt, ut neque legis obligationi, quatenus sanctitatem Deo dignam praecipit,*
quid.

quidquam deteratur per euangelium, neque liberalissime gratiae euangelii uel minimum derogetur per legem. Miscell. theol. part. 2. cap. 15. p. m. 846. Quemadmodum in Oeconomia sua breuiter: lex per spon- sionem Christi non abrogata, sed explicata est. lib. 2. cap. 7. num. 6. p. m. 172.

XIII.

Nec adeo, quoad rigorem exactionis aut coactionis abro- gata est lex moralis.

Legis rigor modis diuersis explicatur. Constituitur enim rigor *perfectionis et continuationis*, de quo actum sub thesi IX. p. 12. Rigor *exactionis et coactionis*, quo magna feueritate homo, maxime durior, iniectis grauissimis comminationibus sine remissione impellitur, ut omnia seruet, aut pro commissis satisfaciat. Rigor *executionis*, quando feuerissimae maledictiones et poenae, sine beneficio aggratiandi, aut temperatione, infliguntur. Iam apud *auctores* talia quidem comparent: *abrogatam esse legem moralem quoad rigorem exactionis, propterea quod Christus pro nobis legem perfecte implevit, Deumque ideo remittere credentibus aliquid de rigore legis, et defectus renatis adhaerentes propter Filium non imputare. Remissioem esse in his omnibus statum noui testamenti, quo praecipue etiam mitigatus fit rigor executionis, non postulari amplius absolutam legis impletionem post impletam per Christum legem, sed studium solum implendae legis.* Qui sermones ne trahantur in abusum, et ueri confusionem, cauendum est, atque omnis res dextre explicanda. Quod ad rigorosam perfectionem *graduum, partium, et durationis*, attinet, satis demonstratum fuit, non posse in his fieri ullam mutationem. Quo minus enim ipso opere Deus declarare potest, se non esse hominum creatorem, patrem, dominum ac iudicem, se non esse sanctum et iustum, se non esse summum bonum ac conseruatorem omnium, a quo homo omni in statu profus et omnino dependeat: quoque minus haec ipsa dependentia, et ueneratio Numinis, quae consequitur exinde, tollitur, eo minus fit relaxatio in legis perfectione interna. Deus se se abdicare non potest iure suo. Summum quod semper et purissimum et sanctissimum bonum est, summo id semper et sanctissimo amore

amore ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus uiribus est prosequendum. Hoc si non impleat homo, etiam *regeneratus* et *probus*, aut si quid contra committat, *peccat idem uere et poenas promeretur*. Et licet ex imbecillitate id fiat, ac peccati remissionem statim consequatur poenitens, peccatum tamen fuit, et poenis in se dignum. Quae res argumento est, consistere sine mutatione legem in omnes. Vbi-
 cunque enim peccatur, peccatur contra legem. Vbi-
 cunque remissione peccati opus, ibi lex accusans. Vbi-
 cunque defectus et imbecillitates indicantur et obiiciuntur, ibi leges iudicantes. Hinc quod-
 tidie gratiam Dei et remissionem peccatorum sibi expetunt etiam cre-
 dentes, Pf. XXXII, 5.6. LXII, 10. Sed remissione non esset opus, si
 lex praecipiens et accusans fuisset sublata. Tum quotidie commone-
 fationes fiunt etiam *regentis* et piis, ut magis magisque *deponant pec-*
cata, ueterem hominem cum concupiscentiis suis exuant, in dies incre-
menta sanctitatis capiant, sancti sint, sicut Deus sanctus est, 1 Petr. I, 16.
 2 Cor. VII, 1. Eph. IV, 24. Quinimo pro maiora beneficia in Chri-
 sto consecuti sunt et consequuntur credentes, quo maiore gratia sunt
 acceptati in reconciliationem et remissionem, eo maiorem postulandi
 occasionem lex consequitur, *Ut* grati officia animi demonstrent: *Ut*
 statui suo conuenienter uiuant: *Ut* animis intimo peccatorum sensu
 percitis ad Christi gratiam perpetuo anhelent: *Ut* agnoscant praestan-
 tiam perfectissimae illius obedientiae, quam consummarit Christus:
Ut suo pretio aestiment beneficium inscriptae in mentibus legis: *Ut*
 inflammentur amore castissimae illius sanctitatis, quae lege delinea-
 tur: *Ut* Deo et Christo ad decus ac laudem, proximo in exemplum
 sint: *Ut* prolapsionis causas in semetipsis per negligentiam et oscitanti-
 am in studio bonorum operum ne excitent aut foueant ad incremen-
 ta et uires. Quodsi enim regenti coeperint *ferre fructus carnis, et*
perficere concupiscentiam carnis, in reatum irae ac mortis denuo sese
 detrudunt, Gal. V, 16. 21. Atque hoc idem rursus comprobatur, non
 esse sublatum legis rigorem, ratione *credentium*. Habent hi ipsi re-
 missionem peccatorum, imo infirmitates quoque et defectus, licet illis,
 etsi uere peccata sint, non imputentur, aut longius, uel grauius, obiici-
 antur in ruborem et poenam; id uero tamen non exinde est, quod
christiani pauciora, aut leniora, aut mitiora, praeepta habeant, aut
 quasi

quasi aliquid ex praeceptis remissum sit uel *temperatum*, sed quod Christus omnia complevit, quod credentes in persona Christi per fidem consistant, quod per imputationem in illo iustitiam talem possideant, qualem lex postulat, quod in perpetua poenitentia et humilitione illud in Christo bonum quaerant, Deoque omni studio adhaerere elaborent. Quo magis autem statu illo continuatur iustitia Christi imputata et gratia Dei, eo strictius subinde obligantur *seruire illi in sanctitate et iustitia omnibus diebus uitae suae*, Luc I, 75. Hoc plura enim debemus, quo plura diuinitus accepimus. Eo ergo in negotio idem redit, quod supra iam ostensum est, ualere non rigorosae legis imminutionem uel temperationem, multo minus abrogationem, sed *interpretationem*. Neque illa de causa quaedam fit mutatio, quod regeniti non habeant integras uires seruandi legem, ut exinde acceptilatio quaedam fit, comminiscenda. Recte h. I. Spenerus: utique adhuc a nobis postulatur illa perfecta legis impletio etiam a regenitis, hoc est, obstricti sunt illi obligatione naturali, quam regeneratio non tollit ad seruandam in rigore summo legem. Paulo post: *itaque qui non ad perfectionis studium uires habet, ad ipsammet tamen, et in summo quidem rigore intellectam, plane ut lex Mosis exigit, tenetur seu obligatur, ita, ut, quod in illo studio adhuc deficit, non desinat esse peccatum coram Deo, licet ob Christum remittatur*. in *consil. latin.* part. 1. cap. 1. artic. 1. p. 51. 52. confer. ibid. p. 44. item p. 68. 69. 70. 71. item part. 3. in mantiff. num. 4. Quod tandem etiam Deus aliquando piorum suorum opera, ut grata atque accepta respiciat et donis exornet, id nondum comprobare potest, cum complere illi legem non potuerint, legem in ipsorum gratiam temperatam aut per *ἐπιείκεια* faciliorem fuisse redditam, sed id modo sequitur, Deum, in Christo reconciliatum, gratiose propter praestitam in Christo iustitiam cum iis agere, qui imputatam illam gerunt, quique omni desiderio et conatu in grati animi signum et declarandum debitum suum uelint aliquid agere, in officiisque progredi, licet, in imbecillitate et ne ulla quidem in uirtutum perfectione. Hoc si etiam doceretur, faciliorem redditam esse legem, facile *inocordia* existere posset et *negligentia*, aut *opinio superba*, legem fuisse seruata, non opus esse aut *iustitia aut intercessione Christi pro renatis*

renacis et facelis, quae omnia statum Christianismi multis magnisque damnis afficerent et pessundarent. Quod uero speciatim *rigorem exactionis et coactionis* concernit, ille quidem in credentibus tantisper cessat, dum satisfactionem Christi retinent, adeo ut non ulterius obedientiam perfectissimam, *salutis consequendae causa*, ab ipsis hominibus praestandam, nec *satisfactionem pro commissis peccatis*, ex ipsorum hominum actionibus afferendam, postulare, nec *mortem* quidem poenasque alias praedicare amplius possit, *tanquam his hominibus infligendas*, quousque in statu illo consistant; *infligendas tamen esse, ipsis quoque credentibus* constanter ostendat, si iustitiam illam *perpetuo non recipiant teneantque*. Contra uero si ad irrogenitos et non credentes respectemus, nihil rigoris legalis cessat. Illos enim grauissima exactionis et coactionis feueritas premit, ut perterrescant, concutiantur fulminibus, ac de gratia quaerenda et refugio reperiundo suscipiant cogitationes. Haec immota legis natura et uis omnium est temporum, licet diuersae possint esse rationes disponendi, ipsam rem exterius circumstantes. Si in ueteri testamento maior in applicando rigor legis uisus fuerit, illud uel ex *imbecillitate credentium et fidei saepius debilioris conditione* profectum fuit, uel pertinuit ad externum populi statum, atque politicae huius statuta, non uero ad ipsam legis moralis aeternae *essentiam*. Igitur *credimus, docemus, et confitemur, concionem legis non modo apud eos, qui fidem in Christum non habent, et poenitentiam nondum agunt, sed etiam epud eos, qui uere in Christum credunt, uere ad Deum conuersi, et renati, et per fidem iustificati sunt, sedulo urgendam esse*. Formul. concord. cap. VI. et in Declaratione epitomes: *Eam ob causam credentes, electi, et renati filii Dei, propter illas concupiscentias carnis, non modo assidua legis admonitione, doctrina, et comminationibus indigent, uerum etiam saepe castigationibus, ut ueternus illis excutiat, et Spiritui sancto obtemperent, sicut scriptum est, Bonum est mihi Domine, quod humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas, Psalm. CXIX.* Ita Becanus cum Pontificis suis nugatur, et cum umbris decertat, quando obiicit *Luthera- nis, istos docere, quod iusti non obligentur ad obseruationem Decalogi*. Vid. *Musaeus*, colleg. controu. p. m. 197.

Scripturae dicta, quae uidentur probare, legem moralem abrogatam esse, id non probant, si ex rationibus, quae textus illos circumstant, recte inuestigentur, conuenienterque explicentur.

Matth. XI, 13. *Lex et Prophetiae ad Iohannem*, sc. ut per Christum, quem, nemine intercedente, anteibat Iohannes, omnia, iuxta uaticinia et typos, complerentur, typicae leges dein tollerentur, lex uero moralis, satisfactione praestita, in iustitiae diuinae gloriam, eiusque, interpretationem, illustraretur. Eundem sensum habent loca Rom. III, 21. IV, 13. Actor. XV, 10.

Ioh. I, 17. *Lex per Moysen*, cum is legis restaurandae et proponendae administrator ac internuncius constitutus esset publicus, et multam partem in tractandis legibus et comminationibus ageret et uersaretur: *Gratia per Christum*, utpote quae gratia in Christo fundata, antiquitus et per ipsum Moysen promissa, ratione efficaciae ueteribus comprobata et data erat, quaeque uero isto Christi tempore per ipsum actum et sollemnissime confirmabatur, et clarissima luce, qua nunquam id tanta excellentia factum fuerat, demonstrabatur, ita tamen, ut ipse etiam Christus non aboleret Moysi legem aeternam, sed stabiliret, sed compleret, sed illustraret, et nouas illi obligandi occasiones per beneficia sua suppeditaret.

Rom. VI, 14. *Vos non estis sub lege, sed sub gratia.*

Item: Rom. VII, 6. *Iam absoluti sumus a lege, eidemque demortui, ut seruiamus in nouitate spiritus, non autem in uetustate literae.* His locis significatur duplex Romanorum status, VNVS, qui uetus fuerit, mere peccaminosus, sine fide, sine Christo, sine gratia, sine Spiritu sancto, eiusdemque impulsu, propterea quod ex legis obseruationibus quaesiuissent salutem et sanctitatem, neutrum tamen reperissent, dum leges finibus, quibus Deus posuerat eas, non usurpassent, sed iudicassent ex habitu et sono exterioris literae, quibus fuerit factum, ut quaerendo et exaedificando iustitiam suam, absque fide in Messiam, omnem amississent, nec habuissent hoc turbato inuersoque ordine sanctum Dei Spiritum agentem et ducen-

rem, omnia contra fecissent cum interiore animi molestia et ueri boni auerfatione, qua non potuisset non sequi legis sanctissimae rigorosa perpetuaque exactio, accusatio, execratio, fulminans in peccati seruos, qui in dies magis magisque in peccata fuissent prolapsi, imo quorum natura deprauata ampliores subinde peccandi occasiones ex ipsa lege sanctissima arripuisset; *ALTER* uero status indicatur a priore longissime diuersus, utpote quo conuersi ad Deum partam a Christo iustitiam possideant, leges typicas in eodem conspiciant ad ueros fines suos traductas, moralem uero legem, hominum loco et bono, prorsus completam, adeo, ut non possit eadem, cum Christi habeant iustitiam ad iustificationem, postulare ampliorem pro reatu satisfactionem, aut condemnationem in ipsos actu exequi, aut urgere perfectam ab illis *ex suisque ipsorum uiribus et factis praestandam iustitiam, qua ipsi per se comparant sibi aeternam salutem*; Quoue etiam statu fidei et conuersionis ducantur Spiritu Dei ad *renouationem* quotidianam, adeo, ut delectentur sanctis Dei praeceptis, ut progrediantur ad *dominum* peccati, in gloriam et honorem illius Domini, cuius beneficio in praesentem conditionem sint adducti. Vocat autem Apostolus statum hominum ante conuersionem *statum legis, sub lege, in lege, coniugii legalis, seruitutis legalis*, non quod Deus nudum istum, et prorsus talem, nec omnino alium, esse, uoluerit, sed quod ipsi homines per supinam inscitiam, negligentiam, detorsionem patefactae ueritatis, superbiam denique ac incredulitatem talem sibi atrectent, et temere conferuent.

Eandem in sententiam explicanda sunt, quae multoties repetita inueniuntur in epistola ad Galatas, uti capite III, 23. 24. *Sub lege custodiebamur. Lex paedagogus: non amplius sumus sub paedagogo.* Item capite IV, 7. *Non amplius estis serui*; Item commate 24. *testamentum de monte Sinai in seruitutem generans abolitum, κ.τ.λ.* Item in epistola ad Colossenses cap. II, 20. *chirographum deletum est*; et in epistola ad Tim. I, 9. *Lex iusto non posita est.* Ita enim cum exegetis felicissimis *Luthero, Brentio, Schmidio, Calouio, aliisque* arbitrari, Paulum in epistola ad Galatas non agere ex instituto de accidentariis dispositionibus circa unam eandemque religionem, ubi una magis cum lege sit constituta; altera uero sine isto legis onere maiorem habeat libertatem: sed ex contextu epistolae inprimis ad Galatas clarum est, quod *Apostolus* de causis iustitiae et salutis prorsus diuersis, de *LEGE*
scili.

scilicet, et operibus humanis ex lege; ex altera uero parte de *gratia euangelica in Christo, per fidem possidenda*, loquatur, quodue *iustitiam legis* opponat *iustitiae fidei*. Non ergo adfolute hic sermo est de statu ueteris testamenti communi, sed de statu hominis cuiuscunque diuerso, uti is est uel *ante fidem* sub nuda lege, eiusque rigore condemnante, uel *in fide* sub gratia Christi. Ponimus uero, Paulum de suo et Galatarum statu, qui sub ueteri testamento fuerit, differere; differit tamen de eodem, uti isti omnes adhuc irregenti sine fide in Messiam fuerint, atque omnes constitutiones V. T. circa religionem, more ceterorum Iudaeorum errantium, ut meras leges, ut media consequendae salutis immediata, receperint et obseruare superbo animo uoluerint. Profecto uti ueri fideles ueteris testamenti non amplius manserunt sub paedagogo, siue rigorosa lege conuincente, terrente, ac condemnante, simulac fides in Messiam in illorum cordibus fuit exorta, *cum ueniente fide cesset lex paedagogica*, Galat. III, 25. ita improbi et infideles, etiam in nouo testamento, sub seuerissimo paedagogo plenissime sunt, neque minorem aut mitiorem eius rigorem aut sententiam audiunt, uel sentiunt, quam improbi in ueteri testamento. Atque adeo dicta, quae uideri possent aduersa esse sententiae propositae, agunt *aut de completionem legis per Christum facta*, *aut de abolitis legibus ritualibus*, quae molestiorem reddere poterant, apud imbecillos, statum antiqui temporis; *aut de cessatione exactionis et execrationis legis* apud fideles, ut ipsi satisfaciant pro reatu et iustitia acquirenda; apud quos non opus etiam est *adactione legis comminatrice* ad praestanda officia, cum sese ipsi impellant libere ad obseruanda illa, quae legis sunt.

XV.

Theologi, qui magno numero asseruerunt, legem moralem abrogatam esse, secuti sunt formulas longo usu confirmatas, sed bono ac commodiore sensu fuerunt usi, quam uerbis, tum et iuridicis uocibus res suas expresserunt, non tamen quoad omnem iuridicam accuratorem.

Omnes si hoc loco fieri deberent loquentes, multas spatiis suis complerent paginas, quas subiicere et breuissimi temporis, et huius scriptiois ratio uetat. Alioqui sine negotio ex *Luthero, Chemnitio, Hutzero, Brentio, Gerbaro, Brochmando, Calouio, Meisnero, Hulfemanno, Scherzero, Kromaiero, Wolffino, Fabricio*, ostenderem, quomodo non abrogationem proprie dictam intellexerint, sed eiusmodi mutationem, quam

nos considerato appellamus INTERPRETATIONEM. Vterius si qui progressi fuerunt, aliud quasi agendo non satis semper respexerunt, quae legis moralis naturam circumstare deprehenduntur. Bene lo.: *Ad. Osiander*, system. theol. acroam. part. III. artic. II. §. 17. *Qui ex nostris dixerunt*: legem moralem esse abrogatam, quoad maledictionem, rigorem exactionis, et iustificationem, non uoluerunt presse loqui, et agnouerunt obligationem illius adhuc persistere. conf. summe uenerandum Senem, *Casp. Loescherum*, disp. de legis termino, §. 22.

XVI.

Quodsi, quae allata sunt, diligentius considerentur, multae ueritates distinctius cognosci: multi etiam errores, et perturbatae doctrinae, hodie in scenam reuocatae, diudicari pariter ac euitari possunt, quibus de rebus sequentes summas complectemur:

- I. Lex diuina, Mosaica propter ministrum dicta, non fuit ab atro Deo, indigna, quae uerbum Dei uocetur, non litera mortua aut inimica doctrina, non contraria doctrinae Christi, atque a diabolo orta, similis leprae et uerrucis, quae blasphemae uociferationes fuerunt antiquorum Antinomorum. uid. *Augustinus*, initio librorum, quos contra aduersarios legis et prophetarum edidit. *Idem* libr. de Haeresib. cum describit haeresin *Aetii*.
- II. Lex in nouo testamento non est releganda ex templis in solas curias, ut politicae tantum seruiat: obligat eadem omnes christianos in statu etiam gratiae. Nec sunt deferendi ad diabolum, qui cum Mose relictis modis occupentur. Neque conuenit, ut Decalogum docere desistamus, nec eo quidem modo, uti communi Mosis ministerio fuit traditus, uti haec ualent contra *Antinomus*, uid. *Lutherus*, tom. I. lenens. lat. f. 516. *Seckendorffius*, hist. Luther. lib. III.
- III. Lex et euangelium, sensu praeciso sumpta, non ita sunt diuersa, quod illa, lex nempe, fuerit priore temporis oeconomia, lex Mosis: lex carnalis: exterior: ad interiorum hominem non pertingens: lex mandati tantum et literae: lex uetus, hominem duntaxat ueterem tractans: lex obscurior, imperfectior, aut praeceptis suis grauior ac seruior: umbra tantum et signum, proptereaue abrogandum; *Hoc* uero, scilicet euangelium, sit lex Christi: lex spiritualis: interiorum magis sanctitatem et postulans et ipsa efficiens: clarior: perfectior: seruatu tamen propter spiritum euangelicae gratiae facilius et sanctior,

or. Haec enim otioforum *Scholasticorum*, *Socinianorum*, atque *Arminianorum*, tum *hodiernorum Indifferentiarum*, qui Scripturam ex *Grotio*, *Spencero*, aut *Stengero*, explicare instituunt, sunt commenta, omni ueritatis fundamento destituta, et plenissima confusionis uid. *Scherzerus*, in colleg. *Anti-Socin. disp. 38* seqq. Ex Patribus quidem multi etiam eundem in modum sermocinati sunt, uti ex *Clemente Alexandrino*, *Victore Antiocheno*, *Petro Chryologo*, *Fulgentio*, aliisque saeculioris aevi Doctoribus, comprobari id posset, quo euoluamus *Bibliothecam maximam Patrum*, tom. IV. p. m. 386. VIII, 935. IX, 210. XXV, 73. XXVI. p. 68. Sed ex his ipsis, sequioribus maxime, non sunt articuli fidei extruendi. Quo etiam pertinet *hodierna* quorundam institutio: *lex patribus data per Moysen, h. e. mandatum obsequendi; gratia uero, h. e. facultas obsequendi, datur tantum a Christo et per Christum. Lex enim, qua lex, praecipit tantum, non promittit: iubet, non iuuat: exigit, non dat: Euangelium uero et praecipit et promittit: et exigit, et dat, quod exigit: urget, sed et iuuat. Ibi iudicatur secundum ius strictum: hic secundum ius temperatum exerceatur.* In quibus certe uerbis magna et legis et euangelii est perturbatio.

IV. Christus uti nihil derogauit de lege morali, aut eius rigore perpetuo, ita legem quoque *novis praeceptis* aut *consiliis* non auxit. Quod contra superiores, tum nouissime contra *Bullum*, et *Io. Ernest. Grabium* est aduertendum. *Calouius*, in *Arminianismo*, cap. XIII. *Buddeus*, theol. moral. part. II. cap. 1 §. 12. 13.

V. *Sacramenta oeconomiae nouae* non sunt *leges ceremoniales*, sed noua gratiae *media* et *figilla*. Ita etiam *fides* non est ex mitiore aut temperata lege morali, sed consideranda, ut *instrumentum ordinarium iustificationis nostrae*. Quam uero ad usurpanda sacramenta, atque ad acceptandam seruandamque fidem habemus praeeptionem, illa non ex euangelio, proprie intellecto, sed generatim ex ipsa lege morali existit, quae communi ratione postulat, ut res a Deo positas magnificemus, atque nostram ipsorum salutem malitiose ne negligamus. In genere enim praecipiens lex fidem quoad credenda, etiam quoad illa, quae de nouo reuelantur, *citra nouam credendi legem*, eandem praecipit, licet *speciale detur obiectum*; Vid. *Dorschaenus*, theol. moral. §. 58. *Gerhard*, de Euang. §. 3. *Zenigrau*. Summa iur. diu. p. 142. 143.

VI. Euangelium, proprie atque in se consideratum, non est norma nouae sanctae uitae, aut nuda suppeditatio nouarum uirium ad seruandas Christi leges; sed is *Deus gratiosus*, qui per Christum acceptauit cre-

credentem, per spiritum suum credentibus legem in mentem reuocat, vt uideant, hoc magis sese debere conari, quo magis propter beneficia collata lex obseruantiam, postulare possit. Qua de causâ recte dicamus, *legem propter euangelica bona illustrari et magis suscitari.* Tum illud quoque recte docetur: *Deum elargiri nouas subinde uires credentibus.* Quae elargitio est euangelica, cum fiat per gratiam reconciliationis: sed exinde non existunt ipsa *praecepta* aut *mandata euangelica*, aut illud ipsum, quod temere quidam asserunt: *dari postulationem, seruationem, et perfectionem aliam legalem, aliam euangelicam: credentes posse implere legem et si non legaliter, tamen euangelice.* Profecto omne *praecipere, mandare, obligare, exigere: Omne proponere*, ut propter gratiam Dei Deo et Christo seruiamus, *statui gratiae conuenienter uiuamus*; Omne postulare, vt *pie, iuste et sobrie* agamus, propterea quod *illuxerit Dei gratia*, Tit. II, 11. item quod *redempti; mundati et sanctificati, tum uocati, illuminati, iustificati, et electi simus*, 1 Cor. VI, 11. 2 Cor. XV, 15. 16. Eph. IV, 22. Coloss III, 12. 1 Thess. V, 5. seq. omne id, *inquam*, quod reperitur in his cohortationibus, proprie *ex lege*, in nouo testamento *illustrata*, non autem ex euangelio est. Nam ex euangelio lex illustrandarum obligationum suarum occasionem tantum sumit. Hinc in una saepe eademque sententia simul et lex continetur et euangelium, quod luculentissime ostendit *Petr. Piscator*, comm. in Form. C. disp. 6. §. 51. p. 230. 231. E. gr. *Hic est Filius meus dilectus*, Matth. XVII, 5. *Ecce parata sunt omnia ad nuptias*, Luc. XIV, 26. Huc usque *euangelium*: iam sequuntur *legalia*: *Hunc audite: Venite ad nuptias.* Conf. *Baierus*, disp. de *lege euangelica*, quam ibi refutat. Celeberrimus item, meritisque et ipsa canicie uenerabilis Dn. D. *Scheluigi*, supplement. ad Synops. controuers. XXIV. cum quibus omnino coniungendus est summe uenerandus *Wernsdorfius*, quem Deus in bonae causae praesidium quam diutissime conseruet, in disp. de *Antinom. recent.* ubi de poenitentia etiam duplici, *legali et euangelica*, solide agitur, quas confusiones theologus olim profundissimus, simul et sincere pius B. Dn. D. *Hannekenius*, exoptatissimus Praeceptor meus, explosit, in dissert. *Logi euagantes.* Comprecamur Deum, ita nos conseruet, vt *neque lege perculli desperemus; neque euangelio suscitati essemus* in improbae uitae licentiam, sed gratiam Dei Saluatoris nostri laeti, ac nihil mali subuerentes, ita suscipiamus, vt sanctissimam contra quoque iustitiam et Domini; et iudicis nostri submisisse ueneremur, nec ulli ipsius ueritati, omnibus in salutem positae, quicquam derogemus.

F I N I S.

PRAESES
RESPONDENTI SVO

S. P. D.

Triennium est, et quod menses aliquot excurrit, cum optimus Prens tuus, *viv' en alyois*, Sacerdos huius urbis et doctrinae purae, et sanctae uitae integritate omnibus bonis charus, meique amantissimus, tui apud me causa inuiseret, et, quid bono cum Deo de amplioribus studiis tuis, me nec sciente, nec tale quid cogitante, animo constituisset, amice aperiret, causatus, id te in schola illustri collocasse spatium, nec sine docentium applausu et laude, quantum quidem rationibus aequis postulari queat. Ita cooptabar in Gymnasium nostrum Academicum, quod et munificentia et auctoritate Serenissimorum Principum Anhaltinorum consistit, Eorundemque legibus sanctissimis illos in fines munitum est, vt huius Principatus iuuenes certum interual- lum hoc Athenaeum frequentent. Quod uero uti fiat, aut non fiat, meum non est iudicare, sed ingemiscere. Tu deferaberis ultro, et sponte uestra. Non enim moris mei est, attrectare ad me, aut eripere aliis, quod suum est. Neque est meum, blandiendo persuadere, ad quod me nec factum, nec formatum esse, ingenue, qui me norunt, confitebuntur. Nec cuiusdam labores aut conturris imminuo, aut, quod nullius sint momenti, malitiose proscindo, vt animi absterreantur, si maxime uoluerint, cum, quid alii agant ualeantque, securus nesciam; nec de his, officii mei sit, iudicare: de proximo contra meo optimam semper in partem praesumen-

E


men-

mendum ducam. Interim accessisti. Audiuisti me, et alios
 docentes, nec sine fructu. Qua potuit fieri luce, et fide,
 theologiae fundamenta exposui uobis ex *Koenigii* methodo.
 Vrsi tractationes Scripturae, et quotidianas omnium repeti-
 tiones, maxime, vt textus Ebraeos et Graecos euolueretis.
 De *theologia*, eiusque ueris aut falsis *speciebus*, item de *religione*,
 et uariis falsisque *partibus irreligionariis*, atque harum originibus,
 incrementis aut decrementis; amplius de *Confessionibus*
publicis, et statu diuersarum Ecclesiarum vt generales prae-
 notiones quasdam haberetis, egi, et plures commendauit Au-
 ctōres, quique selegendi essent, iudicauit in *Protheoria theologica*.
 Capita propter dissentientes theologiae *controuersa*, et tempo-
 ris periculotissimi conditionem, ostendi uobis ex *B. Olearii* Sy-
 nopsi controuersiarum selectiorum, quas exercitationibus
 priuatis, obuiantes respondentes sedulo tractastis. *Morum*
doctrinam, ueram et Christianam, breui summa vt comple-
 teremini, ex ueris originibus suis explanauit. Tum *philo-*
sophiae partes, quae mihi impositae sunt, luculenter in *meta-*
physicis et *pneumaticis* sanis apposui, adiecta commoda et uni-
 uersali *discendi methodo*, quae possit ubique obseruari. Et,
 quod omnium debebat esse primum, *Biblia* non negleximus.
 Haec non in gloriam, sed in rationes officii, quibus per
 conscientiam satisfacere conitor. Vos interfuistis, licet
 magna in solitudine, uos percepistis, neque facile uos poe-
 nitebit. Nec tu cum aliis prorsus uenisti ad nos imparatus.
 Sermonem, quo utimur latino, nec omnino horrido et ab-
 iectissimo, intelligere, et mentem assequi in propositis ua-
 luisti. Interrogatus enim de re tractata, respondisti, supra,
 ac saepius sperassem. In ordinem ac tempus discedendi po-
 situs, concinne argumenta tua disposueras, distingeque et
 solide proponebas, vt perspicerem, domi te euoluisse libros,
 optimaque collegisse. Argumenta etiam, quae saepius im-
 posui

posui tractanda, de quibus uero nil, nisi rei titulum adieci, eum in modum elaborabas, ut in publicum afferri potuissent, si tenuiores rerum tuarum passae fuissent rationes. Sacras literas ebraice et graece euoluisti, percipisque, quanto hoc tibi studium sit adiumento. Ita bono cum Deo abeas in Academiam. Non retraho. Sed suadeo. Aptus enim ad maiora abis. Haec testor. Haec fide publica confirmo. Quae audiuisti, auditurus es, sed maiore cum apparatu. Gradus enim habent et Scholae, et Gymnasia et Academiae. Hos obseruare, iustum et aequum est, turbare iniquum. Nec semper sine damno. Eges? mi *Chemnitz*, ne abiicias animum. Precare Deum, sequere Deum, confide Deo, ipse faciet. Agas tua summa diligentia. Nec horam sine linea patiaris abire. Fac, Docentes Venerandi quotidianum, ut hic fuisti, te habeant auditorem pari industria et obseruantia constantem. Prauis sodalitiis non obligasti fidem. Prosequere consuetudinem. Tabernas non es ingressus, quae comessando et comotando sunt uoluptatum ministrae. Nunquam eo proferas pedem. Pestes hae sunt studiorum internecinae. Rixas ferere: Gladium tractare: Glomera facere: Discurrere per plateas: Vociferare stentoreo more: Petulantiam aliis significare, non ponis in ornamentis studiosi. Nec in futurum aliud reputabis. Ita felices facturus es progressiones. Patroni desunt? *DEVS*. Et *SERENISSIMVS DOMINVS AC PRINCEPS, DOMINVS DOMINVS NOSTER LONGE CLEMENTISSIMVS,*
CAROLVS WILHELMVS, Gratia prorsus singulari, tibi tuisque satis iam comprobata non desistet, quin largis stipendiis egentibus constitutis exhilarari te faciet. Sic fortunabit Deus, ex cuius uoluntate tibi uiuendum est sancte. Nomen *Chemnitianum* habeas ad incitamen-

mentum. Atque hoc magis, cum a Summo Theologo,
MARTINO CHEMNITIO, ex Maioribus tuis ducis sanguinem.
Salutem plurimam optimis Vitembergenfibus impertiaris,
atque in finem te conicias Theologorum, a quibus nun-
quam nisi doctrina pura et solida confirmatus, nisi proba et
antiqua uera pietate instructus, nisi modesta et optima rai-
one munitus discedes. Ita abeas, agas, audias, legas, scri-
bas, colligas, diseras, animumque instruas. Ita redeas cor-
poris mentisque uiribus. Meum fuit exequi monitis, quod
beato Parenti tuo collacrymans promisi. Precibus te tan-
dem et uotis comitabor. Summum cetera com-
plebit Numen, quae deuoti
exoptamus.





Aug VI 49 (1)

ULB Halle

001 853 821

3




Sb.

VD 17

Retro /







34.
31

LEGIS TABVLAE
NON CONFRACTAE.

SIVE
DE

LEGE MORALI
NON
ABROGATA

PRAESES

CHRISTIANVS REVERTERVS,
S.S. THEOL. DOCTOR, EIVSDEMQUE IVXTA AC
METAPH. PROF. PVBL. ET PAST. AD
AEDEM S.S. TRINIT.

RESPONDENS

CHRISTIANVS GODOFREDVS CHEMNITIVS,
PHIL. ET THEOL. STVD.

D. XIII. APRIL. MDCC XIV.

DISPVTV ABVNT.

SERVESTAE,
TYPIS WILHELMI ANDREAE MEYERI, ILLVSTR.
ANHALT. GYM. TYPOGR.

